

turis, & reliquorum. Nusquam manifestis plenissima dolis & fraudibus anima hujus hominis deprehendi potest, qui tamquam sibi adversa atque contraria de utroque Testamento capitula objecit, quàm in hoc loco ubi commemoravit in Levitico scriptum esse, ut à nonnullis animalium carnibus temperetur. Namque huic sententiæ illud ex Evangelio credidit opponendum, ubi Dominus dicit: *Nihil est ingrediens in hominem coinquinans eum, sed ea quæ procedunt de eo coinquinant.* Hoc si imprudens fecit, nihil cæcius: si autem sciens, nihil sceleratius. Nonne ipse paulò antè posuerat Apostoli testimonium dicentis: *Bonum est, fratres, non manducare carnem, neque bibere vinum; dum cupit de novo Testamento veteri adversari, ubi dictum est: Secundum desiderium animæ tuæ occide, & manduca omnem carnem?* Quomodo ergo nunc placet ei sententia Domini, qua dicit, nihil esse ingrediens in hominem quod coinquinet eum, sed ea coinquinare quæ de homine procedunt? Ubi se iste abscondat ab hac sententia? Quò fugiet, dicat mihi, quando immunditiam carniū fugiendam, & à cibis sanctorum separandam, perversa & superstitiosa imaginatione continentia præcipit? Certè enim, si verum est, non coinquinare illa quæ ingrediuntur in hominem, cum magno errore immundas esse dicunt escas manichæi, cum homines carne vescuntur. Si autem immundæ sunt tales escæ, quid de isto testimonio facient, quod evangelica & divina auctoritate prolatum est, ubi Dominus dicit, non coinquinari hominem iis quæ ingrediuntur in eum, sed iis quæ procedunt de illo? An fortè dic-

Marc. 7.

15.

Matth. 15.

11.

Rom. 14.

21.

Deut. 12.

15.

tu-

turi sunt, sicut solent dicere, cum Scripturarum eos urget auctoritas, hoc capitulum à corruptoribus Scripturarum insertum esse Evangelio? Cur ergo Adimantus hoc capitulo teste utitur, & inde conatur vetus Testamentum oppugnare, unde ipse prosternitur? Cum enim quispiam catholicus christianus utriusque Scripturæ venerator & intellectus ei responderit, hæc non esse contraria; quòd illa de quorundam carnibus animalium, quibus non esse vescendum populo adhuc carnali præceptum est, ad significationem posita sint humanorum morum, quos Ecclesia quæ corpus est Domini, in suæ unitatis vinculum stabile & sempiternum recipere non potest, tamquam immundas escas respuens, & in sua viscera non convertens; ut omnia illa præcepta carnali populo imposita futuram disciplinam spiritalis populi prophetarent: & ideo non ea repugnare sententiæ Domini, qua verissimè dicit, non coinquinari hominem iis quæ per escam ingrediuntur in eum. Illa enim sententia servis onera imponit, ista jam liberis jugum excutit servitutis. Et illa tamen sic dicta est, ut servorum onera fidem prænuntient liberorum. *Omnia enim, sicut dicit Apostolus, in figuram contingebant illis, a scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit.* Si ergo in figuram contingebant quæ patiebantur, in figuram accipiebant quæ monebantur.

35. Cum ergo ista respondero, & hoc modo non esse contraria duo ista capitula de singulis Testamentis collata monstravero, quid

z 3

is-

a MSS. contingebant illis propter nos, &c. omissis verbis, scripta sunt autem.

1. Cor. 10.

11.

a

iste facturus est, contra quem dicit gravissimum testimonium testis, quem contra adversarium ipse produxit? Ipse enim commemoravit de Evangelio testimonium, Domino dicente, non coinquinari hominem iis escis quæ ingrediuntur in eum: & ipse à carnibus abstinendum tamquam ab immundis escis mone- re, & docere non cessat. Et tamen sensit quan- tam plagam sibi infligeret, & quanto ictu re percussus se ipse sauciaret. Ne quis enim eum interrogaret, & diceret: Quomodo ergo prohibetis carnibus vesci, si Dominus dicit, sicut tu ipse commemoras: *Nihil est ingrediens in hominem coinquinans eum, sed ea quæ procedunt de eo coinquinant?* Voluit quasi adhibere medicinam sine caussa in mortifero vulnere. Sic enim posuit ipsum Evangelicum tes- timonium. In Evangelio, inquit, dicit ad turbam Dominus: *Audite, & intelligite: Nihil est ingrediens in hominem coinquinans eum, & cetera.* Quòd ergo commemoravit Do- minum hoc ad turbam dixisse, nihil aliud os- tendit, nisi non se ignorantiam, sed malitiam fe- cisse quod fecit: ut postea diceret Auditori- bus suis ad turbam Dominum ista locutum es- se, non ad paucos sanctos, quales se ipsi vi- deri volunt: ut quoniam suos Auditores tam- quam adhuc immundos permittunt carnibus vesci, sibi autem quasi jam mundis, cum sce- leratum atque nefarium esse arbitrantur, hoc etiam Dominum sensisse videatur, quòd non paucos sanctos, sed turbas ista docuerit. O hominem pessimum, securum de negligentia generis humani ad occultandas deceptiones suas! Non enim credebat aliquem exsistere, qui arriperet Evangelium, & cum scientia le- geret, & inveniret hominem in ipsis pratis, qui-

Matth. 15.
11.

quibus greges suos Dominus pascit, laqueos incautis, & minus providis abscondentem. Nam de his verbis commoti discipuli, & non cre- dentes, propriè, sed potiùs figuratè Dominum locutum fuisse, cum diceret non coinquinari hominem iis quæ per cibos ingrediuntur in eum (quoniam judæi erant etiam ipsi disci- puli, qui fugiendos quarumdam carniùm ci- bos à pueritia institutum acceperant) acce- dentes ad eum dixerunt ei: *Scis quia Pha- risæi audito à verbo scandalizati sunt? At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradica- bitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæ- corum. Cæcus autem si cæco ducatum præ- stet, ambo in foveam cadunt.* Cum ergo in- fidelitatem judæorum plantationem appella- ret, quam non plantavit Pater cælestis, tamen adhuc Petrus putans esse illam parabolam, & propterea reprehensos judæos & cæcos dictos, quòd eam intelligere non potuerint, respon- dens dixit ei: *Edissere nobis parabolam istam.* Et ille manifestissimè ostendens non esse parabolam, sed propriam locutionem, di- xit ad eos: *Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemie; hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.*

Matth. 15.
12. &c.
a

ib. 15. &c.

74

De

a In editis, hoc verbo. Abest hoc à MSS. & à græco textu Evangelii.

De non lotis autem manibus judæi move-
rant quæstionem, cujus occasione Dominus
generaliter de iis, quæ in os intrant, & in
ventrem vadunt, & in secessum emittuntur,
hoc est, de alimentis nostris dixit sententiam.
Quamquam ergo convocatis ad se turbis eum
dixisse scriptum sit: *Non quod intrat in os
coinquinat hominem, sed quod procedit ex
ore*; tamen iste quo timore hoc addiderit
verbis suis, quibus hujusmodi testimonium
commemoravit, satis apparet, sicut paulò an-
tè dictum est, ut haberet quod responderet
eis, qui sibi quæstionem movissent, cur prima-
tes manichæorum nefas sibi esse existimant car-
nibus vesci: videlicet ut illud quod Domi-
nus ait, turbis tantum, non electis concessis-
se videretur. Sed cum ex consequentibus de-
claratum sit etiam Petro seorsum interrogan-
ti, audientibusque discipulis, quos utique ad
culmen Ecclesiæ producebat, ita respondisse
Dominum, ut neque per parabolam se illa
dixisse testatus sit, & ad omnes pertinere mon-
straverit; non habent isti unde auferant ci-
bos de faucibus hominum, & a eas laqueo su-
perstitionis adstringant.

36. Fortassis aliquis eorum dicat: Edissere
ergo quid significet caro porci, & cameli, &
leporis, & milvi, & corvi, & ceterorum, à
quibus abstinendum in Lege præcipitur. Nolo,
quia longum est. Sed fac me non posse, num-
quid propterea nullus potest? Et sunt jam
volumina innumerabilia in quibus ista expo-
sita sunt. Nobis tamen ad hos refellendos sa-
tis est, quod eas observationes umbram esse
futurorum, non ego, sed Apostolus dicit, cum
etiam

a Editi, *eor.* At MSS. *ear*, scilicet, fauces.

etiam vetat serviliter observari, sed tamen
aliquid significare declarat, dicens: *Nemo* Col. 2. 16.
*ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut
in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sab-
batorum, quod est umbra futurorum.* Illa ita-
que futura, quæ illis observationibus significaban-
tur, postea quam per Jesum Dominum Chris-
tum venerunt, ablatae sunt serviles observa-
tiones: sed earum interpretationes tenentur à
liberis. Quidquid enim futuram Ecclesiam sig-
nificavit, prophetia est. Habes autem eum-
dem Apostolum dicentem: *Spiritum nolite* 1. Thess. 5.
19.
*spernere, prophetiam nolite extinguere, om-
nia legite, quæ bona sunt, tenete.* Legenda
est ergo Scriptura divina, & Spiritus sancti
dispensatio cognoscenda, & intuenda proph-
etia; & rejicienda carnalis servitus, & libera-
lis intelligentia retinenda.

37. De eo quod scriptum est in Deute-
ronomio: *Observa, & sanctifica diem, quem* CAP. XVI.
Deut. 5. 13.
Sc.
*præcepit tibi Dominus. Sex diebus labora-
bis, & facies omne opus tuum, septima ve-
rò die Sabbati epulare Domino Deo tuo, nul-
lum faciens opus ipse tu, aut filius tuus,
aut filia tua, aut puer tuus, aut puella
tua, bos tuus, & asinus tuus, omnia ju-
menta tua, & colonus tuus. Sic autem quies-
cet servus tuus, & ancilla tua, quemadmo-
dum & tu. Memento quoniam servus fuisti
in Aegypto, & eruit te Dominus Deus
tuus in manu potenti, & brachio excelso. Id-
circo præcepit tibi Dominus custodire diem
septimum.* Et iterum in Genesi scriptum est,
quemadmodum Abrahæ de circumcissione loquitur:
Testamentum meum custodi, inquit, tu & Gen. 17.
9. Sc.
*semen tuum, quod erit post te: hoc est tes-
tamentum meum, quod servabis inter me,*
&

& te, & semen tuum. Omne masculinum circumcides in carne præputii ipsorum: & sit hoc signum Testamenti inter m & vos. Octava autem die circumcidetis omnes masculos in gente vestra, ut etiam dominatum, & comparatum circumcidatis præter alienigenam: & hoc erit Testamentum in gente vestra. Et omnis masculus, qui non circumcidet præputium suum, perdet animam suam de media plebe, quia Testamentum in eum dissolvit. Hæc omnia verba veteris Testamenti, ut eis de novo Testamento adverteretur, proponit Adimantus, & contraria esse affirmat ea, quæ Dominus dicit in Evangelio de proselyto: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocrite, qui circumitis mare & terram ut faciatis unum proselytum, & cum feceritis, erit filius gehennæ, multò plus quàm estis vos.* Quasi verò propterea Dominus proselytum dicat filium gehennæ, quia circumciditur, & sabbatum observat; & non potiùs quia judæorum a pravam conversationem cogitur imitari, non qua observant præcepta Legis, sed qua faciunt contra Legem. Quod alio loco de his appertissimè dicit, ubi ait, quòd rejiciunt mandatum Dei, ut suam constitutionem confirment: quia cum Lex præceperit honorari patrem & matrem, instituerunt ipsi quomodo exhonorentur parentes. Et item cum eis dicit: *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, qui habetis clavem regni cælorum, nec ipsi intratis, nec alios permittitis intrare.*

b Vel cum alio loco b præcepit audientibus, ut dic-

Matth. 23.
15.

Matth. 15.
3.

Luca 11.
52.

a Nonnulli MSS. judæorum perditos mores, & eorum pravam conversationem.

b Editi, præceperit. Meliùs MSS. præcepit.

dictis Pharisæorum & Scribarum obtemperarent, facta verò eorum non imitarentur. Ait enim: *Super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt facite, sed quæ faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt.* Quo loco & auctoritatem Legis, quæ per Moysen data est, confirmat Dominus, & tamen cavendos & fugiendos esse mores eorum, qui Legi quam acceperant, non obtemperabant, apertissimè ostendit. Istis autem perversitatibus suis faciebant, ut cum aliquis gentilis ad Legem eorum transisset, id est, factus esset proselytus, haberet mores eorum, & fieret filius gehennæ, multò plus quàm ipsis essent. Dabant enim magnam operam, ut judæus fieret aliquis ex gentibus, & judæum factum cogebant suos mores pessimos imitari.

Matth. 23.
2. & 3.

38. Neque illud quod de Apostolo, tamquam contrarium commemorat, potuit advertere Adimantus manichæus, omninò non esse contrarium: quia totus ejus oculus non ad inquisitionem, sed ad reprehensionem Scripturæ intentus erat. Commemorat enim dicentem Apostolum: *Circumcisis aliquis vocatus est? Non adducat præputium. In præputio quis vocatus est? Non circumcidatur: quia præputium nihil est, & circumcisio nihil est, sed observatio præceptorum Dei.* Quid enim manifestius, quàm hoc Apostolum præcipere, ut unusquisque sicut vocatus erat, sic maneret? Advenientibus enim rebus, quarum erant umbræ illæ observationes, id actum est, ut ostenderetur in ipsis umbris non esse spem ponendam, sed in ipsis rebus, quas ille umbræ significabant esse venturas, id est, Christum & Ecclesiam. Et propterea illa jam omnia inania erant; nec

ta-

I. Cor. 7.
18. & 19.

tamen ea tamquam noxia removenda, sed tamquam superflua contemnenda Apostolus præcipit: ut si quis judæus Christo credidisset, propter offensionem suorum non prohiberetur in ipsis superfluis remanere, nec tamen in eis salutem suam constitutam putaret: non enim signa illa, sed ea quæ his significantur, in salutem introducunt. Ideoque præputium nihil est; & circumcisio nihil est, sed observatio mandatorum Dei. Et quod

Gal. 5.12. alio loco ait: *Utinam & abscindantur, qui vos conturbant*; non quia circumcisio contraria est Evangelio, dicit Apostolus, sicut manichæi putant: sed illud est Evangelio contrarium, ut quisque rem deserens, quæ per illam umbram figuratur, ipsius umbræ sequatur inanitatem. Quod volebant, qui gentibus in Christum credentibus jugum circumcisionis imponebant quasi ad salutem necessarium, cum jam non esset umbra in corpore figuranda, sed res ipsa in corde gestanda.

Gal. 4.10. & 11. 39. Et quod dicit: *Dies observatis, & sabbata, & solemnitates, timeo vos, ne frustrà laboraverim in vobis*; non sic scriptum est, ut Adimantus ponit. Non enim nominat ibi sabbatum Apostolus. Dicit enim: *Dies observatis, & annos, & tempora, timeo vos, ne frustrà laboraverim in vobis*. Sed putat esse de sabbato dictum. Numquid & nos non dicimus ista non esse observanda, sed illa potius quæ his significantur? Illi enim ea serviliter observabant, non intelligentes ad quarum rerum significationem & prænuntiationem pertinerent. Hoc in eis culpatur Apostolus, & in omnibus qui serviunt creaturæ potius quam Creatori. Nam nos quoque & Dominicum diem, & Pascha solemniter celebramus, & quas-

quaslibet alias christianas dierum festivitates. Sed quia intelligimus quòd perrineant, non tempora observamus, sed quæ illis significantur temporibus. Manichæi autem sic ea reprehendunt, quasi nullos dies, & tempora observent. Sed cum de his interrogantur, secundum opinionem sectæ suæ, omnia conantur exponere, ut non ipsa tempora, sed res, quarum illa signa sunt, observare videantur. Quas quidem res fabulosas esse atque falsissimas, aliis locis ostenditur. Nunc ad hoc dictum est, ut ore suo cogantur fateri, posse talia rationabiliter celebrari: & ideo circumcisionem carnis & rectè impositam servis, & rectè à liberis a intellectam esse manifestum est. Repudiamus ergo eam carnalem cum Apostolo, & approbamus eam spiritalem cum Apostolo: & sabbati quietem non observamus in tempore; sed signum temporale intelligimus, & ad æternam quietem, quæ illo signo significatur, aciem b mentis intendimus. Repudiamus itaque temporum observationem cum Apostolo, & temporalium signorum intelligentiam tenemus cum Apostolo: duorumque Testamentorum differentiam sic probamus, ut in illo sint onera servorum, in isto gloria liberorum; in illo cognoscatur præfiguratio possessionis nostræ, in isto teneatur ipsa possessio. Interpretatur Apostolus sabbatum ad Hebræos, cum dicit: *Remanet igitur c sabbatismus populo Dei*. Interpretatur etiam circumcisionem, cum dicit de Abraham: *Et signum accepit circumcisionis signaculum* jus-

a Sola editio Lov. pro *intellectam*, habet, *repudiatam*.

b Plures MSS. *aciem corâis*.

c In MSS. *sabbatissimum*.

Hebr. 4.9.

Rom. 4.11.

justitiæ fidei. Apostolicam itaque interpretationem spiritualiter teneo: carnalem servitutis observationem libertate contemno, utriusque Testamenti auctorem Deum venerans, qui & veteri homini fugienti, tamquam dominus apposuit quod timeret, & novo redeunti, tamquam pater aperuit quod amaret.

CAP. XVII.
Exodi 23.
22. &c.

40. De eo quod in Exodo scriptum est: *Si aure audieris vocem meam, & facies quæcumque præcipio tibi, odero odientes te, & contristabo contristantes te: præcedet te Angelus meus, & adducet te ad Amorrhæum, & Pherezæum, & Cananeum, & Jebusæum, & Gergesæum; & occidetis illos. Deos eorum ne adoraveritis, neque feceritis opera ipsorum, sed everione evertite illos, & delete eorum memoriam.* His verbis de veteribus libris ita commemoratis, tamquam contrarium opponit Adimantus, quod in Evangelio scriptum est, dicente Domino: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benedicite his qui vobis maledicunt, & benefacite iis qui vos oderunt, & orate pro iis qui vos persequuntur.* Quo loco primo illud videndum est, quod satis esse debuerit homini volenti quasi contraria monstrare, quod de occidendis inimicis in veteri Legge scriptum esse commonuit. Dominus enim de inimicis diligendis, utique de hominibus præcepit; quos per nostram patientiam & caritatem ad salutem posse converti, & quivis intelligit, & exemplis sapissimè demonstratum est. Quid ergo sibi vult, quod adjungenda consequentia putavit, ubi scriptum est: *Deos eorum ne adoraveritis, neque feceritis opera ipsorum, sed everione evertite illos, & delete eorum memoriam; nisi quia*

Matth. 5.
44.
Luc. 6. 27.

Exodi 23.
24.

&

& deos gentium manichæi cogunt diligere? Et quod in Evangelio Dominus ait: *Diligite inimicos vestros*, non solum ad homines, sed ad dæmonia quoque, vel etiam ad simulacra pertinere arbitrantur? Quod si ita est, quis non istam defestetur amentiam? Si autem non hoc arbitrantur, iste plurimum erravit, qui superstitiones gentium evertendas esse præceptas in veteri Testamento commemorare voluit, cum in novo quod scriptum est de inimicis diligendis, tamquam contrarium vellet opponere.

41. Nos autem neque illud quod de hostibus hominibus occidendis in veteribus libris illi populo dictum est, contrarium esse dicimus huic præcepto evangelico, quo nobis ut inimicos nostros diligamus Dominus jubet: quando quidem illa inimicorum interfectio carnali adhuc populo congruebat, cui Lex tamquam pædagogus data erat, sicut Apostolus dicit. Hi verò qui tunc in illo populo sancti, & spiritales homines erant paucissimi, sicut Moyses, sicut Prophetæ, quo animo facerent illam inimicorum interfectionem, & utrùm eos quos interficiebant, diligenter multum latet indoctos & impios, qui diligunt cæcitatem suam; qui quoniam non sunt idonei videre ista, mole potius auctoritatis urgendi sunt. Quid enim est quod dicit Apostolus: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi quasi præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis & meo spiritu, cum potentia Domini Jesu, tradere ejusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu.* Quid enim habet illa interfectio, quam multum isti exag-

Gal. 3. 24.

1. Cor. 5. 3.
&c.

gc-

gerant, & invidiosè ventilant, nisi interitum carnis? Sed quia exposuit Apostolus quo animo faceret, satis declaravit, in aliquem inimicum vindictam cum caritate posse procedere. Et tamen hîc etiam aliq̄ modo fortasse interitus carnis, qui fit per pœnitentiam, potest intelligi. Ipsi autem legunt Scripturas apocryphas, quas etiam incorruptissimas esse dicunt, ubi scriptum est Apostolum Thomam maledixisse homini, à quo per imprudentiam palmâ percussus est, ignorante quis esset, maledictumque illud continuò venisse ad effectum. Nam cum ille homo, quoniam minister convivii erat, ut apportaret aquam exisset ad fontem, à leone occisus, & dilaniatus est. Quod ut manifestaretur ad aliorum terrorem, canis manum ejus intulit mensis, ubi convivabatur Apostolus: atque ita cum causa quæreretur à nescientibus, eisque panderetur, in magnum timorem, & magnum honorem Apostoli eos esse conversos: atque hinc Evangelii exordium commendandi exstitisse. Si vellet aliquis dentes manichæorum in ipsos convertere, quàm mordaciter ista reprehenderet. Sed quia & ibi tacitum non est quo animo factum sit, viderur dilectio vindicantis. Sic etenim in illa Scriptura legitur, quòd deprecatus fuerit Apostolus pro illo, in quem temporaliter vindicatum est, ut ei parceretur in futuro iudicio. Si ergo tempore novi Testamenti, quo maximè caritas commendatur, de pœnis visibilibus divinitus injectus est a carnalibus timor; quanto magis tempore veteris Testamenti hoc congruisse illi populo intelligendum est, quem timor Legis tamquam pædagogus

^a Sola editio Lov. *carnalis timor*, minùs rectè.

coërcebat. Nam hæc est brevissima & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor & amor: illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet; utrumque tamen unius Dei misericordissima dispensatione prolatum atque conjunctum. Et in veteri Scriptura taceatur animus vindicantium, quia paucissimi spiritales divinis revelationibus, quid facerent, noverant, ut populus cui terror utilis erat, severissimo imperio domaretur: ut quemadmodum videbant dari in manus suas interficiendos inimicos impios, cultoresque simulatorum, sic ipsi formidarent in manus inimicorum suorum dari, si Dei veri jussa contemnerent, & ad cultum idolorum, atque impietates gentium laborarent. Nam & in ipsos similiter peccantes non dissimiliter vindicatum est. Sed omnis hæc temporalis vindicta infirmos animos terret, ut enutritos sub disciplina erudiat, & à sempiternis atque ineffabilibus suppliciis possit avertere: quia plus timent carnales homines quod in præsentem Deus vindicat, quàm illud quod futurum minatur.

41. Potest ergo esse dilectio in vindicante. Quod unusquisque in filio suo probat, cum eum in mores pessimos defluentem, severissima coërcitione constringit, & tanto magis, quanto magis eum diligit: atque hoc modo corrigi posse arbitratur. Non autem occidunt filios quos diligunt homines, quando eos corrigere volunt: quia multi hanc vitam pro magno bono habent, & totum quare volunt educare filios suos, in hac vita sperant. Fideles autem atque sapientes homines, qui credunt esse aliam vitam meliorem, & quanta possunt ex parte noverunt, nec ipsi vindicant occidendo, cum filios suos volunt cor-

rigere, quia in hac vita eos posse corrigi credunt: Deus autem qui novit quid cuique tribuat, vindicat, occidendo, in quos voluerit, sive per homines, sive occulto rerum ordine; non quia eos odit in quantum homines sunt, sed in quantum peccatores sunt. Nam in ipsis veteribus libris legimus dictum Deo: *Et nihil odisti eorum quæ fecisti*; sed omnia, sive per pœnas, sive per præmia iustitiâ moderante disponit. Nonne Apostolus Paulus christianis fidelibus loquebatur, cum diceret: *Probet autem se homo, & sic de pane edat, & de calice bibat: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini: Propterea in vobis multi infirmi & ægri, & dormiunt sufficientes: Si autem nos ipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur: Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur?* Ecce manifestum est Deum cum dilectione corrigere, non solum infirmitatibus & ægritudinibus, sed etiam mortibus temporalibus, eos quos non vult damnare cum mundo.

42. Adtendant hæc isti, & videant, quomodo potuerint & impiæ gentes dari in manus populi, quamvis adhuc carnalis, tamen unum Deum colentis, ut ab eo interficerentur; cum in eo tamen populo si qui essent spiritales, sine alicujus odio intelligerent dispensationem Dei: & quomodo non sit contrarium, quod Dominus nobis in Evangelio præcepit, ut diligamus inimicos nostros; de quibus tamen promittit ipse vindictam, cum de il-

^a Editi, cum hoc mundo. Particula hoc non est in MSS, nec in græco textu Apostoli.

illo iudice similitudinem inducit, qui quotidianas interpellationes viduæ mulieris petentis ut se vindicaret, quamvis esset injustus, nec Deum timens, nec homines reverens, tamen sustinere non potuit, & audivit eam, ne ulterius tædium pateretur: ex cujus comparatione multo magis Deum, qui est benignissimus atque justissimus, dixit vindicare electos suos de inimicis eorum. Huic isti audeant objicere quæstionem, & dicant, si possunt: Quid est, quod jussisti, ut inimicos nostros diligamus, & de illis nos vindicare disponis? An fortè contra voluntatem suorum sanctorum facturus est, eos quos illi diligunt, puniendo atque damnando? Imò ipsi potius ab ista calumniosa cæcitate convertantur ad Deum, & in utroque Testamento intelligant ejus voluntatem, ne in sinistra parte inveniantur inter eos quibus dicturus est Dominus: *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare;* & cetera talia. Displicet enim istis miseris, quod Deus populo suo interficiendos tradidit inimicos; & ipsi panem manducanti dari prohibent, non inimico, sed supplici. Intelligant potius sine odio esse posse vindictam, quam pauci intelligunt: & tamen quamdiu non intelligitur, tandiu necesse est, ut lector in libris utriusque Testamenti magno labore, aut errore jactetur, & putet contrarias sibi esse Scripturas.

44. Quam vindictam sine odio nondum Apostoli animo ceperant, quando irati eis à quibus non recipiebantur hospitio, quæsi-
erunt de Domino, utrum vellet eos petere ignem de cælo, sicut Elias fecerat, quo igne

Matth. 25.
41. &c.

Luc. 9. 54.
& 55.

homines inhospitales consumerentur. Tunc respondit eis Dominus, dicens, eos nescire a cuius spiritus filii essent, & quod ipse liberare venisset, non perdere: quoniam illi animo inimico perdere cupiebant eos, quos volebant igne consumi. Postea verò cum impleti essent Spiritu sancto, & perfecti facti essent, qui jam possent etiam inimicos diligere, acceperunt potestatem vindicandi, quia jam sine odio poterant vindicare. Qua potestate Petrus Apostolus usus est in eo libro, quem isti non accipiunt, quoniam manifestè continet Paracliti adventum, id est, consolatoris sancti Spiritus, quem lugentibus misit, cum ab eorum oculis ipse ascendisset in cælum. Consolator enim tristibus mittitur, secundum illam ejusdem Domini sententiam: *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.* Ipse etiam dicit: *Tunc lugebunt filii sponsi, cum ablatus fuerit ab eis sponsus.* In illo ergo libro, ubi apertissimè Spiritus sanctus, quem Dominus consolatorem promiserat, venisse declaratur, legimus ad sententiam Petri cecidisse homines, & mortuos esse virum & uxorem, qui mentiri ausi erant Spiritui sancto. Quod isti magna cacitate vituperant, cum in apocryphis pro magno legant, & illud quod de Apostolo Thoma commemoravi, & ipsius Petri filiam paralyticam b factam precibus patris, & hortulani filiam ad precem ipsius Petri esse mortuam: & respondent, quòd hoc

a Vox *filii* rejecta est per Lovanienses auctoritate unius MSS. Habetur in editione Er. & in nostris omnibus MSS.

b Editio Lov. *paralyticam sanam factam*, additâ voce *sanam*, quæ à ceteris libris abest, & abesse debet, uti patet ex contextu.

hoc eis expediebat, ut & illa solveretur paralyti, & illa moreretur: tamen ad preces Apostoli factum esse non negant. Quis autem illis dixit: Non expediebat gentibus impiis interfici, quas traditas esse divinitus in manus populi judæorum irridentes mirari se fingunt? Cum autem illa non odio, sed bono animo Apostoli fecerint, undè isti convincunt animos virorum spiritalium, qui in illo populo fuerunt, quòd eos oderant, qui per ipsos divinâ justitiâ de hac vita jubebantur auferri? Compescant potiùs temeritatem suam, & non decipiant imperitos, quibus aut non vacat legere, aut nolunt legere, aut perverso animo legunt, & non attendunt, & misericordiam & severitatem Dei, utriusque Testamenti litteris commendari. Nam de inimici dilectione, ut non reddatur malum pro malo, in veteribus libris legitur: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuendis mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Quis hoc diceret, nisi qui sciret hoc Deo placere, ut malum pro malo nemo reddat? Sed hoc perfectorum est, ut non oderint in peccatoribus nisi peccata, ipsos autem homines diligant; & cum vindicant, non vindicent acerbitate sævitæ, sed moderatione justitiæ; ne ipsa relaxatio peccati plus noceat peccatori, quàm poena vindictæ. Nec tamen hoc fecerunt justii homines, nisi auctoritate divina; ne quis arbitretur passim sibi esse permissum necare quem velit, aut judicio persequi, aut pœnis quibuslibet affligere. Aliquando autem aperte ponitur in Scripturis ipsa divina auctoritas, aliquando autem occultatur, ut & manifestus lector instruat, & exerceatur obscuris.

45. Certè inimicum & persecutorem suum, nimis ingratum & nimis infestum, Saul regem, accepit David in potestatem, ut ei faceret quod vellet; & elegit parcere potius, quàm occidere. Non enim erat jussus occidere, sed neque prohibitus: imò etiam divinitus audierat, se impunè facere quiddam vellet inimico; & tamen tantam potestatem ad mansuetudinem contulit. Dicatur mihi quem timuit, cum interficere noluit. Nec hominem possumus dicere timuisse, quem acceperat in potestatem; nec Deum, qui dederat. Ubi ergo nec difficultas fuit occidendi, nec timor, dilectio ^a profecit inimico. Ecce David ille bellator implevit præceptum Christi, quod accepimus, ut diligamus inimicos. Atque utinam hoc imitarentur isti, qui humanum affectum misericordiæ ad nescio quæ crudelia deliramenta torserunt. Dum enim credunt pœnem plorare, quod fieri non potest, non eum porrigunt homini, quem plorantem vident. Fortassis dicant, sicut solent cæci jactare insana convicia, meliorem fuisse David qui pepercit inimico, quàm Deum qui dedit ei occidendi potestatem: quasi verò Deus nescierit, cui dedit hanc potestatem. Noverat utique voluntatem servi sui, sed ut ceteris etiam hominibus ad imitandum innotesceret ea, quæ in corde David jam Deo nota erat, inimici dilectio, dedit illi in potestatem inimicum, quem nondum volebat occidi, propter certam rerum ^b dispensationem, quam per illum impleri oportebat. Ita & David bonitas commendata est, ut haberent homines quod

^a Aliquot MSS. *pepercit inimico.*

^b In MSS. *dispositionem.*

quod amarent; & Saülis regis malitia ad exitum digniorem dilata est, ut haberent homines quod timerent.

46. DE eo quod in Deuteronomio scriptum est: *Si aure audieris vocem Domini Dei tui, benedictus es in agro tuo, benedictus es in prato tuo, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, & generationes jumentorum tuorum, & armentum boum tuorum, & grex ovium tuarum, benedictus es in introitu tuo, & egressu.* Huic capitulo illud dicunt in Evangelio esse contrarium: *Si quis vult me sequi, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me. Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Sed ex illa regula ostenditur non esse contrarium, qua notum esse jam debet, carnali adhuc populo congruenter carnalia & temporalia præmia fuisse promissa, sed tamen ab uno Deo, cujus est creatura omnis & superior, & inferior. Certè enim ipse Adimantus posuit testimonium de Evangelio, ubi Dominus ait: *Nolite jurare, neque per cælum, quia thronus ejus est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus.* Quod quidem & in veteribus libris scriptum est: *Cælum mihi thronus est, terra scabellum pedum meorum.* Quid ergo mirum si bona throni sui dat spiritaliter sibi servientibus, & bona scabelli pedum suorum dat carnaliter sibi servientibus, cum spiritus superior sit, & caro inferior, sicut superiora sunt cælestia, & inferiora terrestria? Quamquàm illa omnia, id est, ager, & pratum, & fructus ventris, & fructus terræ & jumentorum, & armentum

CAPUT.
XVIII.
Deut. 28. 1.
3. 4. &c.

Matt. 16.
24. & 26.

Matt. 5.
35.

Isai. 66. 1.